16

Tu Heinsi, si quanti te faciam nescis, ex eo collige quod amorem hunc meum, quo te arctissimè complector, me reri hanc gratiam cum edico, nec erubescere me videas nec merito iniquum dixeris. Excusationes quas alibi, quas ubique probaverim, en illud, Versas in Mas cula Musas numina, nullas admitto, Quin si Poëseos insolentiam, et nescio quem venae languorem allegas, esto sanè, et qui vivi prodigus tot non Hugeniis ingratum tuis, fuisti, uni Hugenio, uni tuo toto nec fæcem invideas, qui me hanc ultimam omnium molestiam exhibere sancte polliceor, imò et finem hunc rogandi facere, seu tibi vel mollescat animus vel obrigeat. Utcunque enim negaveris, debere, inquam, in aeternum non desines, cui me solatio post repulsam, te vel invito placatum eo. Vale Vir summe, et amare ne multum puta qui sic redamari postulem. Hagae . . . 1625.

Expecto ~~quod~~ ut mutilum hunc foetum remittas, quò tibi mox integrum ~~rem~~ exhibeamus.

C. Hugenius.

(69)

Caspari Barlaeo S. P.

Quam ego suaviter mihi imponam, nisi cum te video et illum affectum et insignes Iambos, quos penè dixerim videris inscripsisse non mihi, splendidè mentitos amicos fatear, qui vel bonae fidei jacturâ conciliatum te mihi voluerunt. Praeconia illa igitur et non alibi minore merito decritam Lauream ne attingo quidem, Tempori illa permitto, et arctiori amicitiae, quam ut serò nunc postulas pridem virtuti, atque meritis eximiis constrictus tuis devotam, ita nec laudibus alibi venalem scito. Eâdem operâ mi Barlaee certiorem te faxo, quam ego illas nec promereor nec affecto. Quod per occasionem Libelli mox edendi insignium virorum suffragiis muniri volui, adversus hominum linguacissimos quosdam, quorum aegrè hodiè insaniam evasurus videbar, ut in detrectationem proclivè saeculum est si vel solus ignoscis, gratulor mihi de fronte perfrictâ quâ tibi quoque nominis ignoti tutelam extorquere instimi. Gratias ultra non ago; sufficiat quaeso haberi illas, ne quid sub hoc calamo detrimenti capiant. quem ego deficere fateor exprimendo, quanto mihi olim quanto nunc in cultu sis. Testabor tamen re, verbis ac gestu, quantum illa feret occasio. Hisce verbi

quod

quod nunc deest, humanissimos Lenones amicitiæ nostræ vanderBurghium et Brosterhusium non illibenter supple turos confido, quibus cum dedebeo, magnam mei par tem debere profitere. Vale vir Doctissime, et me ama.

Hagæ. 5. Iduum Maij CIↃIↃCXXV.

C Hugenium.

(70).

VerBurchio et Brosterhusio. S. P.

Splendide inquam mentiti estis, sive versiculos utriusque expendo, sive doctissimos Iambos, quos Barlæo tam commodè excussistis. Dii boni, quem vos illi Characterem homines impressistis, quem tanti encomii dignum censueritis. Speravi olim cominus hoc viro frui, nunc certum est Leidam brevi non visere, ne vestram sic personam capi ti detrahat ille meo . De cætero vos videritis, nempè quam pares compensandæ humanitatis futuri sitis, ubi ad exigendam adeo bonæ fidei prodigos fuisse sentio, ut parum absit, quin mandati excessi reos putem. Acci pite tamen gratias et illi reddite, quantas a me vos a vobis ille meruisse videbitur. Ego vos infinitas arbi tror. Summa est, Amicum devinxistis, id est lucri fecistis nihil si quod cujusque est amplius ejus fieri nequit; nisi consolidationem usufructuariis meis proprie tatem obvenisse dicendum est ex L. Si Tibi: 17. ff. Quib. mod: ususfr: vel us: amittitur. Ad manum Pandectæ erant, quapropter insignis loci arcaniore doctrinâ obiter fraudandi non eratis, si fortè Lectioni hodiè non interfuis tis, per Pomponium Neunam toties mihi jam decantatum visum numquam. Afferte hominem unâ aliquando, aut ille in malam vobiscum crucem abierit. Itane vos nullâ umquam prece mobiles dari. Otia nostra ne nimium festinanter impulsi, frustra fuisse videamini proximâ septimanâ profligatione Typographi sunt, unâ cum vestris et aliorum præludijs quæ tantam in molem subito excreverunt, ut quod olim de urbe nescio quâ dictum fuit, timeri possit, ne totâ domus per portam effluat. Hoc illud est nimirum, quod sollicitè ambivi. In turbâ prodire, causis fortasse non ineptis, si memores estis. Vereor in morâ sit, diem unum aut alterum Sculptor Delphensis, cujus operâ duobus solum lamellis Typographum gratificatum oportuit. at ego illum